„Doctrina vim promovet insitam.
Horat. Carmin. Lib. IV. 4.

Amico atque collegae reverendissim
et dilecto
Viro ac domino perdocto
Doctori J. Schmidt

21. 11. 42.

Dr. W. Fruth

De

Hypochondria

quaedam.

Dissertatio inauguralis

auctore

Guilielmo Fruth,
Eggenfeldensi-Bavaro.

Medicinae, Chirurgiae et artis obstetriciae Doctore,
medico assistente in nosocomio Monacensi.

Monachii MDCCCXLII.
Typis Joannis Deschler.

Avunculo

suo dilectissimo

Viro ac Domino

reverendissimo atque amicissimo

IGNATIO AUER,

Juridico in Eichendorf

hasce pagellas sacras esse

vult

Auctor.

Neuroses, functiones animales impeditae, quibus sensus communis, instinctus naturales, externorum sensuum motusque nervi laborant, impediuntur, perturbantur in spasmos cum sensu adaucto Hypochondriam, Hysteriam, Raphaniam, Choream St. Viti et in spasmos cum sensu deminuto dividuntur, ut Delirium tremens, Catalepsia, Epilepsia.

Hypochondria.

Synonym.: Hypochondriasis, malum hypochondriacum, Hyperaesthesis psychica, Milzsucht, Grillenkrankheit,
Maladie hypochondriaque, mal de rate, Disease of the Milt etc.

Morbos nervorum proprios, sive plus sive minus commutata materia incedentes in sublimioribus animi regionibus reflecti, variis vitae corporeae perturbationibus psychen et animum varie affici constat.

Talem igitur conjunctionem inter aegrum, alienatum corporis affectum itemque psyches et animi commutationem offert nobis Hypochondria, Hyperaesthesis psychica.

Duo status hic nobis occurrunt morbi essentiam complectentes. Universalis Hyperaesthesis diversissimis modis, maxima et diversissima mutatione, maxima et celerrima vicissitudine, semper tamen, quacunque ingreditur ratione, statum hyperaestheticum referfens; ea est perturbatio vitae corporeae magis imminens.

Alterum signum pathognomonicum est attenta animi cura his hyperaestheticis statibus implicita, ita ut animus, vita psychica perpetuo his mutationibus intenta eas alat iterumque augeat, ut viceversa hae mutationes exaltationes, sive exaltatam, ideoque alienatam animi actionem et ipsae augent. Quo fit, ut in hypochondriaco omnem attentionem omnemque et animi et mentis vigorem ad hos hyperaestheticos status videamus inclinatum.

Hos ipsos in omni mutatione, in omni vicissitudine videmus sustentatos ac propagatos attentione nimiaque paulatim existimatione qua eos vita psychica excipit, unde partim in psyche partim in corpore imaginem Hypochondriae videmus expressam. Ut in nullo alio morbo vitam psychicam ad corporis conditionem videmus conversam, quin etiam non alia fere re nisi in corporis statu occupatam, quae tamen animi occupatio ab altera parte saepe etiam in morbosis fundata est sensationibus, quare hypochondriacus diligenti quadam cura est respiciendus neque temere repellendus. Itaque Hypochondriam et in animo et in corpore positam modo in numero morborum psyches animique affectuum, modo neurosium in corpore haerentium habuerunt medici. Equidem non dubitaverim Hypochondriam intermedium et corporis et animi mentisque habendam esse morbum.

Hac ex ratione varie diviserunt Hypochondriam. Quo magis enim nihil nisi animi perturbatio exaltatis sensationibus vita corporea praevalens apparebat, quo minus in organismo ipso laesiones et mutationes materiales poterant reperiri, quo magis omnia morbi symptomata in sola laborantis opinione, exaltata ejus sensatione erant posita, eo rectius morbus „Hypochondria sine materia, H. immaterialis“ nominari poterat.

Prout autem in morbi decursu aut jam in ipso ortu cum his sensationibus etiam in processu formativo, in nutritione, in vita vegetativa, quam sympathici nervi plexibus et sphaeris — et quidem hic arctissime — ad-

junctam esse scimus, apparent mutationes, mutata succorum mixtio, Hypochondriam distribuerunt in „H. cum mutatione materiei, H. materialem.“

Ut nervus sensorius nervum motorium ita etiam Synergia et Reflexione nervum trophicum, nutritivum aegre afficit; neque quidquam diu et saepius fieri potest in una nervorum sphaera, quin denique etiam — idque eo magis, quo majorem vitae vegetativae nervi habent partem, — nervos nutritivos afficiat, et quod primo dynamice tantum, ita ut nullum ejus videndi nobis occurrat vestigium, apparebat, hoc denique modo materiali in organismo radices aget et ad formam corpoream redigetur; quae omnes neuroses, quum stationariae, chronicae sunt, denique materiam sibi vindicant, id est in corpus se transformant. Hypochondria cui mutationes materiei insunt etiam aliter dividi potest. Observata est enim praecipue directio congestiva, secundarie congestiva series affectionum ex Hyperaesthesi psychica orta, ita ut reflexus ad sanguinis motum rediret et symptomatum turba existeret inter Hypochondriam et Haemorrhoides medium tenens. Quum denique morbus diutius viguisset materiemque sibi vindicasset et succorum mutatio ita apparuisset, totus denique organismus morbi notam quandam prae se tulisset — status atrabilaris — hanc morbi conditionem materia assumpta „Hypochondriam materialem, atrabilarem, H. materialem cum atrabilari succorum mixtione“ nominaverunt. Jam apparet ex iis, quae de hoc morbo retulimus, cur Hypochondriam ad veram Prothei imaginem reduxerint medici, quae et aegrotum et medicum aeque cruciat vexatque, neque minus liquet, cur hic morbus difficillime certos fines certamque symptomatum seriem continere possit.

De morbi imagine.

Optimum fuerit si in media morbi conditione positi rationes psychicas primum observaverimus. Hypochondriacus quasi cum corpore suo pugnat, maxima semper

animi attentione internis adhaeret sensationibus. Itaque tota ejus et animi et mentis vita ad se ipsum est relata, et profecto nullius rei est appetentior quam sui ipsius. Ab ipsa externa rerum natura recedit, quo liberius et quasi tranquillius suis ipsius animi sensationibus studere possit, quibus vexatur, neque unquam eas superare potest. Hic ab rebus externis recessus pathognomonicum quasi est signum Hypochondriae; ad hoc pertinet etiam magna cura, qua in se ipsum utitur, magnus ille metus cui est obnoxius ne vita, ne valetudo amplius turbetur et periclitetur; quo fit ut ab omnibus rebus noxiis abhorreat vitamque omnino propriam suis sensationibus provocatam degat diaeteticam. Psychica animi affectio variis obnoxia est mutationibus, ita ut aegrotus tristitia, difficili indole, morositate de vitae suae conditione quam opinatur esse miserrimam, ventosa ingenii sui natura vexatus celerrime ad hilaritatem nugasque redeat, paulo post in mutabilem animi sui indolem recurrat.

Haec perversa mutabilisque animi affectio hisce fere indicatur signis: Hypochondriacus aegrum sui corporis statum interpretatur inquiritque; suus cuique mos, sua cuique ratio. Quam ad interpretationem ut perveniat, ut veram de interna conditionum natura et statu quibus vexatur concipiat opinionem, medicorum litteras summo amplectitur amore; quidquid in manus venit diligentissime investigat; magnam librorum copiam legit, eosque potissimum, quibus morbi sui indolem repraesentari opinatur. Eadem cura et attentione medicorum turbam assectatur, neque unquam unius medici auctoritati addictus, quippe qui alium post alium consulendi causa conveniat. Totam rerum cui operam dant medici scientiam et artem omnesque medicos maledictis incessit, quorum nullus ejus salutis fuerit auctor; neque tamen a se impetrare potest, ut eorum consilium aspernetur, ideoque alium post alium consulit, quae res medicis conducit

eorumque votis maxime inservit. Omnibus medendi methodis remediisque, quae sua aetate emergunt, studet diligentissime, unde etiam apparet cur Homoeopathia et fortasse etiam Hydropathia a tanta hominum multitudine sit efflagitata et arcessita. Nam victus cultusque praecepta ab iis, quae Homoeopathiae navant operam, data, prospera afferunt Hypochondriae remedia, ita etiam qui in Hydropathiam incumbunt praeceptis diaeteticis suis adversus Hypochondriam cum materia et sine materia prospere pugnant. Omnium primum autem operae pretium est animadvertere certos societatis humanae ordines praecipue Hypochondria cruciari, et nominatim etiam medicos, imprimis juniores hoc morbo laborare; quin ego affirmaverim esse Hypochondriam quandam medendi artis studiosorum propriam. Quicunque eo quo par est studio in artem scientiamque medendi incumbit morborumque diversas cognoscit figuras et formas hoc morbo quasi tentatur, aut certe hoc vel illo morbo se cruciatum esse vel cruciatum iri arbitratur.

Zimmermann bonum esse ait, quod medici Hypochondria vexentur, quippe qui ab externis rebus noxiis, contagiis etc. multo magis quam alii sint tuti, id quod etiam refert J. P. Frank. Artis medendi studiosi igitur, tum homines nobilioris conditionis et ordinis, operarii denique quorum munera et labores sedendo plerumque perficiuntur propriis crebro laborant Hypochondriis, quae interdum ad insaniam adaugentur. Omnium primum autem hypochondriacus, qui libenter in legendis medicorum scriptis versatur multumque medicorum utitur consuetudine, atque omnes medendi rationes et methodos persequitur magnam et materialium secretionum et excretionum curam intendit. Explorat investigatque se ipsum, an abdomen non plenius sit et tentum, an nulla in hypochondriis sentiatur durities aut tumor etc. Alvi dejectio rite deposita magni secundum ejus arbitrium momenti; ab ipsis plexibus nervorum abdomina-

lium plurimi hyperaesthetici status originem ducunt, excitantur! — Urinas et sputa et praecipue alvi solutiones maxima animi attentione observat. Ita vitam degit bene distinctam a melancholico; ei enim vita non est odiosa, vitae taedio ut hic non angitur. Sublimiores animi occupationes et actiones non impediuntur, nisi quod facilius fatigatur; somnus varie turbari solet; ad labores tamen summa animi contentione subeundos idoneus est, unde et se et suum statum facilius obliviscitur et ita malum, quo laborat, temperat et mitigat.

Haec est psychica psychen et animum magis occupans et turbans pars morbi; jam ad id quod corporis proprium est venimus, ad sensationes ex singulis nervorum plexibus et sphaeris magis materiali modo orientes. Hae diversissima vicissitudine et mutatione inter se variant, unde etiam crebro Hysteria et Hypochondria in unum coguntur a medicis non alia re nisi sexu inter se discrepare affirmantibus, quod a vero abhorret.

Primae turbationes plerumque oriuntur ex organis vegetativis, e digestione ex plexu coeliaco, solari, mesenterico, ex nervi sympathici catenis. Initio nihil nisi subjectivae sunt species, ventriculi gravitas, borborigmi, flatus, ructus. Male concoquit aeger et tamen interdum ciborum capacissimus est; lenta alvi dejectio. Nulla adhuc apparet mutatio in abdomine et in secretione et excretione. Neque tamen non est memoratu dignum, — omnes fere hypochondriaci ex regione ventriculi primas turbationes exsistere perhibent. — Quas tamen turbationes crebro uno tantum latere corporis consistere liquet. Est qui dicat, splenibus se laborare, alius jecinore malum contineri, obduratum esse et adauctum volumen ejus, jecinoris obstructionibus morbum repraesentari; neque tamen ulla apparet nec in jecore, nec in ejus functione etc. mutatio palpabilis. Hi status hyperaesthetici maxime sibi constant atque etiam primo cum secre-

tione mutata conjunguntur; quare hypochondriacus magis lenta alvi dejectione laborat, bilis secretio et excretio non bene riteque procedit, et profecto lenta digestione ex ventriculi nervis aegre affectis atque alienatis cruciari coepit. Ita etiam accidit, ut hypochondriacus denique singulari ac proprio faciei colore malum semper et depravatum habeat gustum et varie sit obtecta lingua ejus. Interdum in hoc stadio sphaera sexualis graviter est concitata; sed magna nervorum relaxatio et solutio viriumque consumptio et defectus apud hypochondriacum Veneri succedit.

Pressus in pectore (dum jam crebro pectus infestatur et tentatur et status hyperaesthetici et spasmodici in ejus organis exsistunt), palpitatio cordis, magnus animi motus et inquies ante obdormiscendum, somnus vires non reficiens et recreans turbidis foedisque agitatur somniis, spiritum ducendi impedimentum, magnum in pectore et in regione ventriculi pondus, angor ne cordis pulmonumque morbis implicetur, ne qua sanguinis eruptione haemorrhagia subsequatur et apoplexia; sed omnes hi status praetereunt et omnino sunt libera et permanent libera pectoris organa. Morbus ulterius iter intendit et sensuum nervi crebro in hanc Hyperaesthesin — in hallucinationes deduci solent; alius continuo vexatur aurium susurro, alius floccos ac scintillas videt, alius queritur quod nemo sibi satis bene cibos coquat, totam coquendi rationem mutari jubet; saporis et odoris organa aegre sunt affecta, laborant, affliguntur. Ita videmus morbum ab alia ad aliam nervorum potentiam sympathici semper nervi plexus insequentem denique etiam in sensorii nervorum plexibus repraesentari et referri, et magna virium infirmitas accedit. Aegrotus nullo omnino corporis motu et exercitatione amplius uti posse affirmat, vires suas delapsas esse et consumptas, paulo post tabie se esse periturum; et tamen est firmo corporis habitu, robusto, crasso

pleno, et semper plus infirmitatis et languoris accedit voci.

Species et status initio per vices sibi succedunt et permutantur; quo firmior, robustior, magis juvenilis est corporis conditio cum congestionibus revera exortis et excitatis morbus incedit; itaque rubicunda facies, plethora organorum pectoris, palpitatio cordis, nisus ad haemorrhoides, — quod aegrotus magni esse momenti censet, omnisque qui ipsum haemorrhoidibus affectum esse affirmat sui judicii amicus est et bene ejus consuetudine et societate utitur, qui ipsum hypochondriacorum numero esse adnumerandum censet ejus consuetudinem aversatur. Hypochondriacus tristi interdum molestaque suae conditionis tempore angitur, quiddam typi simile in ejus morbo inveneris. Omnium primum tempore diurno et nocturno varie afficitur, praecipuo nocturno arbitris remotis animi sui sensationibus agitur. Auctumnus et hiems hypochondriacum exacerbationibus vexant, congestiones his anni temporibus surgunt et accedunt. In hanc rationem si quando morbus evasit seque transformavit tertia statuum series accedere solet, organica formatio et mixtio mutatur. Hoc quoque oritur ex vena portarum, ex ea, quod omni sanguini ex organis vegetativis secernendo et excernendo est destinata, et quod ea splen, ventriculus, hepar arctissima sunt in conjunctione. Congestio ad venam portarum intendit iter, congestio haemorrhoidalis exoritur, quae nisi hoc vel illo modo exaequatur, compensatur, mixtio sanguinis mutatur, exoritur status atrabilaris, quod tamen seriore demum tempore, longinquiore temporis spatio et diuturniore morbi decursu.

Negari non potest, omnes status et conditiones, quas nominavi mox psychicorum mox somaticorum symptomatum imaginem referre, mox abdominis, mox pectoris atque capitis symptomata praevalere. Quo diuturnius morbi spatium transigitur, eo magis suae

ipsius naturae atque indolis appetentior evadit aegrotus, eo magis tristiori est et morosiori ingenio, eo magis amicos vitaeque humanae societatem aversatur et odit. Nec nisi interdum accidere solet, ut in hac hypochondriaca affectione accedentibus quibusdam animi offensionibus injuriisque, quibus animus ejus diffidens facile fidem habet, mentis perturbatione correptus ad mortem voluntariam descendat, in suicidium ruat. Hypochondriacus timet mortem voluntariam, etiamsi vexationibus quas mente concipit sibique fingit, ut manum sibi consciscat permovetur; timet suicidium, ne nisi magnae injuriae offensionesque sibi illatae eum ad ejusmodi perturbationem interdum rapiunt. Hypochondria morbus est chronicus, menses, annos explet; chronico decursu adaugeri solet, id quod partim magis ex causis psychicis partim ex somaticis magis dependet; vespere valetudinis conditio minuitur, itemque nocte, auctumno, hieme. Idem etiam mora sua et retardatione, cessatione utitur. Saepe exaequatur; natura ipsa eum exaequat magnis aetatis mutationibus, quibus vita humana est circumscripta. Hypochondriacus adolescens morbo liberatur annis provectus; aliter res se habent in illa Hypochondriae specie, quae mediis alterioribusque exsistit aetatis periodis, quae statu suo non movetur et in Melancholiae formam mutatur, in animi pathema transit.

Morbi exitus.

Quorsum Hypochondria sit evasura, jam ex iis quae diximus intelligitur. Perfecta valetudinis conditio succedere potest, quae tamen non succedit, nisi ea quae in nervorum plexibus consistit exaltatio levatur et simul prospere cedit, ut mutationes in materia positae solvantur, liquescant, evacuentur. Hic animadvertimus extrema vinculo quasi inter se contineri, crises inveniri dynamicas et materiales. Haemorrhagiis haemorrhoida-

libus, excretionibus arthriticis etc. curatio transigitur Hypochondriae. Ea est solutionis et discriminis ratio nisi natura ipsa per varia aetatis curricula eam componit. Alii exitus sunt verae Phrenopathiae, aut somatici sunt processus, qui vitam vegetativam male habent turbantque.

Phrenopathiae sunt status cum depressionis indole atque natura, itaque hypochondriacus denique in Melancholiam delabitur et Lipomania laborare coepit; haec incedit qua insania, quae in vesaniam distribuitur et in dementiam. Somaticae morbi mutationes in vegetativis plerumque positae sunt organis. Morbi formantur cum atrabilari succorum natura, hypertrophiae lienis, hepatis, calculi fellei, processus similes in universo systemate venoso, etiam interdum hypertrophia cordis, condromata in valvulis cordis etc. — Vitae curriculum claudunt suicidium et varii morbi exitus. Omnium minime hypochondriacus, ne contagiis inficiatur semper timens, contagiis aptus est concipiendis. Operae etiam est pretium commemorare, tum praecipue excitari et provocari solere Hypochondriam, si sphaera inter quam sexus versatur, varie concitata est aut debilitata. Jam praecipuum est Hypochondriae signum, aegrotum semper sui ipsius studio et occupatione teneri, vitamque trahere perpetua suarum sensationum diversarum nimia aestimatione intentum et agitatum; itaque exsistit masturbatorum Hypochondria omnibus rebus quae ad genitalia pertinent excitata, ita syphiliticorum aut eorum hominum Hypochondria, qui ne fuerint olim Syphilide infecti timent, aut qui laboraverant lue venerea, sed plane erant sanati. Huc accedit etiam illa psychicarum turbationum forma ubi aegrotus veneno se imbutum esse existimat, ut suspecti canis morsu, exempli gratia Raimund ille Viennensis, clarissimus comoediarum actor. Exempla traduntur ubi ejusmodi homines revera etiam Hydrophobia mortui esse videbantur, ut mercenarius

rustici ille in nosocomio Monacensi Wilhelmo Professore, quem morbum tamen non fuisse Hydrophobiam constat, sed convulsiones tantum nervorum exaltatione cujus jam supra mentio est facta excitatae et provocatae. Hoc loco adhuc referre licet Hypochondriae indolem atque naturam aliqua ex parte immutari prout aegrotus aetatis partem nactus est. Quo minus sunt homines annis provecti eo magis morbi symptomata ad pectus referuntur, eo magis corde se aut pulmonibus aegrotare existimant; hoc apparet ex praevalentibus pectoris organis et congestiva magis morbi natura, quae huic aetati communis esse solet. Quo aetate homines sunt provectiores, quo major est morbi longinquitas eo magis in abdominis organa contrahitur, neque immerito abdominis turbationibus laborare se arbitrantur aegroti. Maximo levamine, maxima libertate, maximo lenimento in hoc morbi statu gaudere potest aegrotus, si in rebus ad vitam publicam privatamque pertinentibus multum versatur, justa utitur corporis exercitatione et motu, si sphaera vegetativa servatur libera, recta actio, incitatio ejus accedit, in qua re omnis Hypochondriae curandae et sanandae nititur ratio.

Aetiologia.

Quod ad Hypochondriae causas pertinet

I. hoc morbo media et provectior vitae aetas affligi solet. (Quae artis scientiaeque medendi studiosorum propria esse solet Hypochondria, eam plerumque praeterire animadvertimus); apud homines adolescentes exaequari et compensari solet, sed aetate provectiores iterum invadit.

II. Hic morbus sexum virilem tentat, singulari virorum natura, singulari et psyches et corporis conjunctione, virorum moribus et ingenio continetur et concluditur hic morbus. Nulla propemodum inter Hypochondriam et Hysteriam intercedit vera similitudo, imo prorsus paene inter se differunt, quamquam profecto

viri Hysteria laborantes repereris. Corpus virile per se est perfectius, sexus systema simplicius est constructum et magis sui potens neque ullius arbitrio addictum compositum, vir non tristi illa et acerba — quanquam mulieri necessaria — sexus functione, menstruatione est gravatus et impeditus, sed tantum spermatis praeparatione est instructus; quum porro pro rata parte minus chyli conficit, ideoque etiam minus plasticae materiae in se habet vestigia, quum etiam systema ejus sexuale magis clausum et circumscriptum ad intestinorum canalem minus refertur, quum irritabilitas ejus inferior minus immutatur, et corpus et psyche ejus plerumque magis et occupantur magisque continuo, ita etiam vir variis illis vehementibusque sexus systematis affectionibus totum corpus invadentibus, et omnino miris illis mutuis rationibus et vicissitudinibus inter genitalia et totum organismum intercedentibus, quae vitam mulieris ad procreandum aptae tam mire tamque varie temperant et moderantur, succumbere non potest. Hanc ob causam etiam vir, nisi plane mulieris induit naturam et effeminatus est, nullo modo Hysteria tentari potest, quae habita naturae atque indolis ratione longe aliud malum est quam Hypochondria.

III. Morbus libenter localis magisque endemicus esse consuevit, ita ut a coeli ratione regionibusque pendeat. Anglos ad Hypochondriam magis et Melancholiam inclinare satis constat, non ita Francogalli ab eorum moribus atque indole plane discrepantes; Germanos animi magis lentitudine et aequitate esse conspicuos novimus, itaque apud eos Hypochondria non tanta vi insurgit, non ita ad summum perducta invenitur.

IV. Nobilioris conditionis homines hoc malum tentat, eosque qui lautis epulis delectantur et bene conditis neque multum corporis utuntur occupatione et sedendo magis vitam degunt; itaque homines docti eo cruciari solent, et operarii quorum labores et munera sedendo

conficiuntur, sutores, sartores. Mens, animus, sui ipsius sensus hic arctissime cum hac nervorum systematis alienatione consentiunt et conjunguntur; omnia nimium aestimantur aegra affectione considerata.

Molière, ut exempla ponam, scripsit: „Médecin malgré lui," „Malade imaginaire," „Monsieur de Pourceauguac;" neque eo secius moestissima eum ac tristissima videmus abreptum animi sollicitudine, quam interdum sub ridentis specie dissimulare studet. Per totam vitam animi moeror ac tristitia eum comitabatur. Item Sterne auctor Anglicus „Tristram Shandy," unius fabulae Milesiae, quam neque omnibus numeris perfectiorem neque ad ejus similitudinem elaboratam inveneris. Désaugiers cujus nostra aetate exstant carmina legentium animos mirifice exhilarantia, qui etiam vitae genio indulgere callet animo angitur moeroreque corripitur mediis libidinum voluptatumque illecebris implicitus, quamquam tota ejus vita unius tantum diei festi retulit imaginem. Nulla alia re nisi vino afflatu quodam daemonico abripiebatur. Désaugiers adolescens adeo hoc tristis animi angore et sollicitudine laborabat, ut in monasterium quoddam migrandi paene caperet consilium, neque multum abfuit, quin ex hilarissimo carminum auctore, ex Anacreonte Francogallorum Trapista evaserit.

V. Animi affectus, quibus animus angitur et deprimitur maxime hunc morbum gignunt, non cupiditates. Hypochondria magis temperamento melancholico est propria. Homines antea cholerico temperamento atque indole si seriore tempore in Melancholiam sunt delapsi omnium maxime in Hypochondriam incidere solent. Quo magis ad hanc praedispositionem turbationes in nervis vegetativis, in systemate gangliorum abdominis collocatae intendunt, normales secretiones et excretiones impediuntur, perturbantur, vasa abdominis sanguine venoso nimis implentur, morbus atrabilaris sensu

latiore simul adest, eo magis vehementer et graviter insurgit hic morbus.

VI. Hypochondria crebro est turbatio, passio hereditate et dispositione hereditaria accepta.

VII. Homines annis superioribus magna operum laborumque occupatione distenti et impliciti, quum subito a vita publica recesserunt saepe cito Hypochondria laborare coeperunt. Subita vitae generis vicissitudo et mutatio est igitur una ex praecipuis morbi causis; ut homines subliiore loco positi, quum a rebus publicis vitaque publica ad vitam privatam secesserunt, facile in hunc morbum incidunt.

VIII. Usus denique potionum irritantium Coffeae, Theae etc. quae paulatim languore afficiunt.

IX. Si processus morbosi prius praegressi in minore vitae actione non amplius proveniunt, ut Arthritis, Haemorrhoides, subito suppressae secretiones et excretiones, Ephidrosis pedum exempli gratia etiam interdum Hypochondriam provocant.

Prognosis.

Hypochondria vitae periculum non intendit, non mortem per se affert, sed maximis tantum molestiis implicita aegrotum cruciat; passio ista plerumque chronico est decursu et difficilis perfecte sanatu. Hominis ipsius natura atque indoles, vires, voluntatis fortitudo quibus imbutus est aegrotus in prognosi statuenda sunt respicienda. Quo magis aegrotus ad hyperaesthesin inclinatur, quo magis in mulieris naturam est conversus, eo minus malum sanari, eo minus ei resisti potest. Praeter hominem ipsum est respicienda morbi natura atque indoles, utrum magis dynamica sit an materialis, et si posterius, qua vi et quorsum sit progressa. An causae possint removeri, quae sint naturae ipsius sanandi tentamina in prognosi proponenda respici debet; utrum crises materiales appareant, an magis magisque materiale evanescat et psychicae praevaleant turbationes; qua sit

morum ingeniique indole aeger, quamdiu morbus duraverit, qua aetate sit aegrotus quaeritur. Apparet a nobis etiam respici oportere in perspiciendis conditionibus hyperaestheticis, sensationibus aegris aegreque turbatis, cavitates, quae hic intravere; non ita magni res est momenti, magisque aequo animo perferenda si abdominis turbationes exstant; pejus se res habet si pulmones, cor majore ex parte morbo affliguntur. Quo magis morbi extenditur intervallum, quo ulterius paroxysmi ad varios vitae sensoriae nervorum plexus porriguntur, eo majoribus difficultatibus est conjuncta curatio et sanatio.

Anatomia pathologica.

Cadaverum sectionibus tum demum certa rataque morbi argumenta efficiuntur si Hypochondria materialem formam retulerit atque expresserit; si morbus materialis, qui antecessit ipse Hypochondriae occasionem praebuit. In nervorum systemate plerumque turbationes mutationesque non exsistunt neque apparent, ut etiam omnes Hyperaesthesiae dissecantis sagacitate superiores esse solent et oculorum obtutum effugiunt. Non in nervorum sphaera mutationes post mortem reperiuntur, in formationis, circulationis, nutritionis organis tunt positae turbationes eaeque quam diversissimae. Hypertrophiae, obstructiones, nimia impletio systematis venae portarum apparent.

Therapia.

Hypochondriae curandae ratio, quae plurimum negotii atque difficultatis medico facessit, aptissime ita expediri possit:

I. Primum ad totam morbi indolem atque naturam dirigitur tumque dividitur
   a) in therapiam magis psychicam,
   b) magis somaticam.

II. Therapia dirigitur ad singulos paroxysmos morbi et ad symptomata ei praecipue respondentia mo-

lesta; quae posterior curationis pars est tantum interposita varieque ad symptomata referenda et temperanda, neque unquam eam abhorrere licet a summa therapiae, sed arctissime ei adhaereat eamque imitetur necesse est.

III. Therapia terminatur et continetur complicationibus exstantibus et curandi sanandique tentaminibus naturae, quae complicationes removeat et diligenter accurateque organismi contentiones et experimenta observet, eaque adaequando imitari studeat.

Ad I. Therapia adversus naturam atque indolem, summum morbi genus adhibita, temperata et directa secundum characterem Hypochondriae:

a) si minus est materialis et magis psychica, dynamica forma praevalet, psychica curandi ratio praevalet;

b) si contra jam ab ipso initio magis materialis apparet H. etiam curandi ratio magis ad partem somaticam aptanda est et referenda. Quo magis uterque status in unum conclusus apparet, eo magis therapiae summa est terminata et composita in utramque partem et psychicam et somaticam.

a) Jam vero in causis morbi exponendis mentio a nobis est facta, quantam in morbum exerceat vim vivendi genus, victus cultusque, totaque animi corporisque ratio. Praecipue sunt praecepta diaetetica de vita temperanda instituendaque – maxime vulgarem verborum sensum spectaveris — huic nervorum passioni opponenda et de hac re potissimum non tantum de arte scientiaque medendi edita scripta, sed etiam philosophorum libri optima praecepta continent. Quo minus fidei singulis temporibus et apud singulas gentes arti quae propria est medicorum habebatur, eo magis haec curandi ratio diaetetica — ampliore verbi sensu — unicum remedium exstitit.

Apud Romanos potissimum a Stoicis ejusmodi loci praeceptorum pleni relati leguntur, quae etiam nobis si

Hypochondriae curationem spectaveris, magni sunt momenti. Egregii de hac re loci apud Senecam, Epictet. etc., Marc. Aurel. Anton. monologi; eodem pertinet Celsus: „De sanitate tuenda.“ Serioribus etiam temporibus ejusmodi scripta sunt composita, ut liber, cujus Kant est auctor, qui „de animi potentia atque vi affectiones aegras superandi et opprimendi“ inscriptus, eodem pertinet, opus saluberrimum et sagacissimum; oratio academica Gaubio auctore: „De regimine mentis quod medicorum est“; scripta a Zimmermann edita; „de vita prolatanda“ ab Hufeland composita. In hac re denique maxime legentium animos afficit iisque est praecipienda: „Schola Solernitana“, quae tota media aetate procedit et elucet; multa ibi ejusmodi praecepta inveniuntur.

In Diaetetica, in psyches corporisque vivendi ratione diaetetica rerum cardo vertitur, si vis curare imo sanare Hypochondriam. Quum maximi sit ac praecipui momenti, ut aegroti habeas fidem, de hac re aliquot praecepta trademus. Quantum hypochondriacus plerumque in medici auctoritate fiduciae ponat satis novimus.

Maxime igitur in eo peccatur a medico, quod hypochondriacum nulla alia re, nisi vana sui animi imaginatione laborare affirmat, eumque etiam talis conditionis atque naturae hominem tractat. Quo fit ut aegroti excidamus fiducia atque de eo quoddammodo falso judicemus, quippe qui nimia tantum sui mali aestimatione abripiatur. Aegroto laborare se hoc malo concedere nos oportet, eumque viam ac rationem docere, ad quam voluntatem dirigat. Conflictendum nobis est cum affectibus deprimentibus, timore, — futurorum malorum per diversa curricula extenta praesagitatione, terrore, anxietate, angore, nimia animi tristitia, raro etiam desperatione.

Magna pars morbi in metu est posita, eumque admoneamus oportet, ut spe adversus eum et fiducia se armet. Neque tamen unquam hypochondriaci fiducia est coeca. Studeamus saltem quacunque ratione ad aliquam

spem ejus animum erigere. Omnium primum animo aegroti quasi medicinam adhibere debemus si paroxysmis conjunctus incedit morbus. Suum ipsius medicum aliqua ex parte aegrotum fieri oportet psyches habita ratione; ipse calleat oportet se regere seque ducere, sublimiora animi sensa succedere oportet quam quae in corpore sunt posita; quo magis ad humanitatis studia est excultus, eo proclivius huc erit. Tota vivendi ratio penitus est inspicienda et perscrutanda, tempore eum sapienter uti oportet. Rebus exhilarantibus molliterque afficientibus animum aegrotum esse deditum ab initio tantum juvat, nam paulo post in eam animi tristis affectionem qua antea fuit, delabi coepit, etsi modo laetitia et hilaritate exsultare videbatur. Novimus exempli gratia Carlin seu Biancolelli, clarissimum illum comoediarum actorem, qui in tota Parisiorum urbe risum excitabat et tamen ipse prope ad desperationem erat redactus. Inanis animi remissio nihil prodest, sed severam quandam animi occupationem aegroti naturae atque indoli aptam adesse oportet. Occupatio ne sit leviter adhibita et a psychica tantum parte, sed si ullo modo fieri potest animi occupationem excipiant corporis exercitationes. Itaque corporis exercitationibus ad summum defatigationis fastigium utatur quisque hypochondriacus, ut somni quies eoque sensuum aegre affectorum oriatur placatio. Equo, curru, navi vehi, corpus saliendo currendoque exercere, in hortis fodere, prout et personae admittit mos ratioque gentis, convenit hypochondriaco. Pariter tempora dormiendi vigilandique separata esse et distincta oportet; nunquam mane aegrotum diutius in lecto jacere et sero cubitum ire conducit. Omnibus cibis potionibusque, qui inflant, maximum excitant calorem et mox post relaxant abstinere eum convenit. Coffea, Thea, vina valida nihil prosunt, sed obsunt. Neque tamen, ut ajunt, ad unguem res est peragenda, ita ut vini vel cerevisiae amatorem ad aquae potum reducas subito.

Plura tamen et accuratiora ipsi viderint homines docti in operibus hanc rem tractantibus.

b) Altera pars therapiae, ad summam Hypochondriae directa, est magis somatica, magis samatice malo obviam est eundum et resistendum. Turbationes antevertere et praecavere vel removere, si adsunt, studeamus. Haec therapiae methodus et ratio materialiter magis inita aut plane radicalis est per remedia totum organismum alterantia, immutantia, aut per remedia tardius leniusque efficacia. Remedia subitam alterationem, mutationem efficientia nobis tribuit tulitque rerum natura egregio modo in aquis salutaribus. Huc pertinent praecipue aliquot Thermae, aquae salinae, resolventes, sive mixtae cum ferro. Itaque Carlsbad, Teplitz, Kissingen, Wiesbaden; (Caroli aquae, si Hypochondriae natura atque indoles non est plus aequo congestiva).

Iterato harum aquarum usu cum justa rectaque vivendi ratione, itineribus aptisque animi relaxationibus saepe universa aegroti alteratio et immutatio existere, turbationes sanitatis et materiales mutationes saepe tolli possunt. Itinera in regiones amoenitate locorum conspicuas suscepta, balnea maritima — Travemünde, Norderney — universam saepe revolutionem et evolutionem excitant. Quod ita magis subito efficere conamur hoc etiam paulatim contingere potest, si, quod plerumque fieri solet, aegroti in ipsa regione sanandi cura nobis est permissa. Haec methodus remedia in se habet, quae nervorum abdominalium systema levant, sedantque et simul secretionem et excretionem augentia sanguinis circulationem in venarum systemate agunt. Haecce remedia non omnino ex narcoticis eligas. Remedia magis temperantia, refrigerantia, omnino magis resolventia et amara; et ex iis quae nervorum systema sedant molliuntque primo loco sunt ponenda Gummata ferulacea, Martialia, Castoreum in variis conjunctionibus adhibita. Semper tamen id nobis praecipue spectandum est agen-

dumque, ut formationis processum liberum impeditumque teneamus, ut sanguinem in systemate venae portarum haerentem, atram quam ajunt bilem, (pseudo)- secretam dissolvamus, liquefaciamus evacuemus aequabiliterque diffundamus. Quod summo opere desiderat hypochondriacus, quodque maximo desiderio ac voluptate tentat sunt alvi dejectiones; itaque Eccoprotica optima ac saluberrima sunt remedia, neque unquam omittenda ac negligenda in Hypochondriae therapia.

Unico, continuoque salium mediorum usu nimia tamen in abdominis organis nascatur relaxatio et remissio, id quod hypochondriacis non magis conveniat conducatque quam hystericis; tractus intestinorum actio ad justam normam adaugeatur neve debilitetur.

Rhabarbarina, Aloëtica, Gummata ferulacea, Martialia interposita cum salibus mediis, et pro rata parte et sine iis, cum remediis amaris, ut inertiae organorum abdominalium succuratur, ut recta justaque in iis efficiatur intentio, quem vocant tonum, ut ita nervorum systema sedetur leveturque, nescio an primo loco poni possint. Quo justo magis irritatum, quo magis exaltatum nobis apparet nervorum systema, eo magis subinde conveniunt leniter sedantia, sed tantum passim nec sine mora interposita: Asa foetida, Castoreum; in magna exaltatione frigus, lotiones frigidae, fomenta glacialia, Hydropathia sic dicta. Sed semper semperque etiam in Hypochondria curanda genius morborum regnans epidemicus valde est respiciendus, ex quo methodus medendi Hypochondriae dependere potest et saepius profecto varia variis temporibus dependet et dependebit. —

Omnium primum hujus morbi cum continuo successu impetum retardans Aloë esse creditur, cui hac ex ratione — nec solum ex colore — hepaticae esse nomen nonnulli ajunt; eandemque vim ut Helleborus adversus Melancholiam Aloë adversus Hypochondriam in se continere dicitur. Itaque apud prioris aevi medicos artis

medendi laude conspicuos in omnibus remediorum conjunctionibus primo loco ponitur in Elixiriis, Pilulis, Tincturis etc. Eligi solet extr. Aloës aquos.

Formulas medicinales sibi quisque eligat et componat ipse pro casu concreto quoad individui et morbi naturam atque indolem. Quo diutius extrahetur malum, quo majores sunt organorum praesertim in immo ventre obstructiones, quo major in iis est debilitas atque imbecillitas, eo magis commendantur clysmata visceralia Kaemphii. Ut postremo, si sedata ac sublata videtur Hypochondria, methodo medendi quadam tonica adhuc utantur medici, ex ipsius morbi natura atque indole apparet. —

Ad II. Morbus est tractandus cum respectu singulorum paroxysmorum et singulorum praecipuorum symptomatum. Hujus rei si haberemus rationem, tota materies medica nobis esset evolvenda atque excutienda. Impetus retardentur, leventur ac sedentur. Ejusmodi paroxysmum si sedare velimus conjungantur intercurrentia remedia perpetuo cum summo curandi consilio, semper addantur leniter Eccoprotica. Aeger queritur spiritum sibi recludi, horrendis se laborare borborigmis et flatibus, qui pectus onerent opprimantque, ingenti membrorum totiusque corporis gelu aestu subsequente, doloribus quibus variis locis constringatur. Pneumatosis abdominis praecipuum est H. symptoma. Maximae est utilitati hypochondriaco ejusque ingentibus doloribus opponere artificiosum. Mox spiritum ducere coepit, si exorientibus pectoris abdominisque spasmis synapismi et enemata irritantia e. g. ex solutione Asae foetid. ponuntur. Antagonismus et polaritas nervorum simul respicienda sunt. Opio in his paroxysmis uti, medici doctrinae experientiaeque laude praeclari vetant, quantum id fieri potest, propter aestus fervores qui gigni soleant et propter alvi retentionem; praeferantur Carminativa: Spirit. sal. ammon. anis., spirit. nitr. dulc., spirit. corn.

cerv. quem vocant „solamen hypochondriacorum, pulver. aërophor.; leniter aromatica: Chamom., Menth., Valerian. — Castoreum, quod plurimum impetus valde vehementes impetuososque levare dicitur; sed medicum in hisce omnibus aegroti naturam habere cognitam, satis apparet; doses refractas Acetatis Morphii in hisce paroxysmis interdum aegros juvare mihi quidem persuasissimum est. His remediis plerumque addi solet lene Eccoproticum.

Ad III. Denique non paroxysmi solum et symptomata maxime praecipua sunt oppugnanda, sed etiam complicationes tollendae. Haemorrhoides et Arthritis saepissime comitantur Hypochondriam, sed saepe etiam optime eam exaequant et compensant. Itaque hos processus morbosos accurate et apte dirigere et vertere tentamus. Adhibemus cum Aloë remedia sulphurica, balnea, cucurbiculas siccas ac cruentas in regione sacrali, in facie interna utriusque femoris, hirudines circa anum, venaesectiones in altero pede qua adjumenta Haemorrhoidum profluendarum.

Si Arthritis adesse videtur, praecessit, ex quadam parte adhuc restat praebemus Antiarthritica cum Tonico-amaris, Eccoproticis. Hanc ob causam iterum balnea, Thermae, Caroli aquae e. g.; interne: Lign. et resin. Guajac., Aconit., Vin. semin. Colchic. cum Amaris et Martialib. magnam H. depellendae operam praebent. Jam vero si aliae adhuc gignuntur complicationes, has plerumque in organis vegetativis, in secretionis et excretionis organis reperiemus et tum demum penitus tollemus Hypochondriam et sanabimus, si ab ipsis complicationibus in ea curanda orsi erimus.